


aliunde, longe nobiliorem et sanctiorem excitabit coe-
lestis ille Architectus, cuius promissiones fallere nos
nequeunt. Hunc solum invocemus, ut quod Nomini
suo gloriosum fore sapientissime intellexerit, agat, nos
vero paremus ad omnia, ut saltem nostras, et eorum,
qui duci se patientur, salvemus animas, dum ceteri peri-
bant. *Ad pia desideria mea etiam ab illo tempore, quo*
ultimas ad Te scripsoram, aliquorum Theologorum ce-
lebrium perlatae sunt epistolae, quea me plurimum
confirmarunt. *Nullus autem, quod fore primum qui-*
dam augurabantur, repertus est, qui contradiceret publi-
ce. Utinam quot suffragantur consiliis, totidem etiam
manus admoveant operi, et suo loco quisque id age-
rent, quod ad emeritatem facit. Sed commende-
mus etiam istud DOMINO. In quo Tu vale cum
Tuis, et quod facis me amare perge. *Scrib. Francos.*
25. Sept. 1676.

Tuus precibus, officiis, affectu, amore

Philippus Jacobus Spenerus, D.



DECAS

TERTIA

EPISTOLARVM

AD

DAN. GVIL. MOLLERVM

MISSARVM

GVSTAVOGEORGIO
ZELTNERO

THEOL. DOCT. EJVSDEMQVE
ET LL. OO. IN ACAD. ALTDORF. P. P.
NEC NON V.D.M.

DEDICATA

ANNO CIO IO CCXII.

Altdorfii

LITERIS KOHLESHI, AGAD. TYPOGR.

EPISTOLA. I.

Salutem & Amorem a DOMINO!

Amice Exoptatissime.

Anquam obtineo, cum serius respondeo, Tu etiam obtineas, ut tarditati non succenses, sed veniam des homini, quem multæ Epistolæ sollicitant, ut non nisi post moram plerisque respondere possim. Aliud vero est, quod ampliori excusatione opus habet, quando videlicet deficiente pagellas, æri incisas, transmittere hactenus debui. Sed quod res est, fatebor. Cum literas Tuas accepisse, confitueram, durantibus adhuc Nundinis, rescribere, &c., quod velles, mittere: verum deinceps, tempore exclusus, cum Epistolam exarare non potuisse, alterius etiam oblitus sum: nec prius illud in memoriam recurrit, nisi cum jam Tuam Epistolam ad respondendum relegerem. Faxo vero, DEO dante, ut non diu expectes, & unà cum aliquot Concionibus funebribus istas *æque ad Te mittam*. Quod scribis, voluisse Tc, ut quædam Insignia copiosius descripsssem, scias, me idem voluisse, si curta me non impeditivisset supplex; in multis enim dicendum erat, quod didicoram, non quod optabam: & particres plerique fuere in subministrandis subsidiis literariis, quam quod sufficeret instituto: quamvis, plurimis non defuisse voluntatem, existimem, sed quia pleræque Aulæ de ipsis his rebus, quæ corum decora concernunt, parum novere, nisi aliunde subministrata. Expertus loquor, & qui frustra non ungas fortes pulsavi. *Elogia* tamen Virorum illustrium pauciora in libro meo optare, non tantum facio, verum etiam ea ad institutum meum non pertinere, ratus sum, ut plurima quæ in promtu fuissent, consilio omiserim. Imo universim, quæ *Genealogias* spectant.

in Opere meo accessoria habenda sunt , non vero ipsum, quod tractandum sumsi, argumentum. Ita non miraberis, *Ranzovii* illius, utcunque celebris, non nisi duobus verbis factam mentionem : in primis quando non oriundus erat ex *Breidenbergica Lina*, quam potissimum tractatio mea respicit. Si vero, quod ipsum Operis argumentum attinet, vel obstruaveris ipse, vel aliunde acceperis, quae vel emendando, vel augendo Operi meo serviunt, beneficium interpretabor, si ad me mittas. Sed ad reliqua Literarum Tuarum pergo. N. N. nostri apud vos acta vita velimenter displicer, imo, quod gaudeo, ipsi met displicer. Jam *Gieß* & fidei Professoris *L. Thilenii* gravis & candidi atque probi Viri, concreditus, in se gerit, ut sit spes optima. Quam vellem Tua cura commissus fuisset, qui in devia abiturum retraxisset, verum, cum dimittendus esset, non prius mecum actum est, quam de Hospite & Ephoro jam prospectum esset. N. N. itidem nostrum, spero proprio experimento vel tandem agnitorum, quod, mera semel maturo consilio praefixa, ad eam inconnivo oculo respiciendum, rectoque cursu sic contendendum. Scripti mei adversus *Northusam* successum adhuc expector. Non ex uno loco relatum, feliciter haec Apologia discussa esse multorum, de me vane conceperas, suspiciones, Ipsummet Adversarium, ajunt meditari responsum. Credebam vero, ad tam evidenter demonstrationem non obfirmaturum animum, quia, quod a me jure plura postularer, non erat. Sed qui obstinato sunt ad contradicendum animo, nunquam sibi satisfactum credunt, aut videri volunt. Voleo autem, ipsummet sibi crucem figere, & cum veritatis luci cedere renuat, atque adeo scandala in Ecclesia multiplicare perget, non leviter reatu obstrin-

gere,

quem ut agnoscat & eluat, quam ego optarim Deumque precor. Sueci illius *Peringeri*, Latoris Tuæ Epistolæ commendatitiae, conversatio mihi pergrata fuit, ut ejus & eruditionem & modestiam magni merito faciam, vora Tua, quantum quidem in me fuit, implere studui, ceu ex ipsius literis forte jam intellexeris. Quod vero duorum Fratrum Tuorum attinet mortes, haud dubito, ipso temporis lapsu (quæ fere medicina est efficacissima) dolorem mitigatum iri: quamvis, quæ nos excessum Nostrorum moderate ferre docet, Christiana Philosophia, ita etiam animum Tuum corroboraverit, ut non existimem, verbulo opus esse, quod luctui temperando adjiciam; nisi quod DEVM venerer, qui, quos extinti Tecum, si per homines licuisset, exoptaturi eramus annos, Tuis gratiose addat. *Disputationem Tuam de Fabula Montefiasconia* accepi, & pene perlegi, sed quia Amicūm decet, quod sentit, aperte ediscerere, non sine spiriis. Tantine erat lepidissima hæc fabella, ut circa eam Tua & Respondentis Tui occuparetur industria? Talia ergo, si mihi credis, meque sincere amassas posthac illis relinquamus, qui meliora & publice profutura non possunt, adeoque operose nihil agunt, nos de ratione vitæ olim Domino reddende solliciti, ita tempora nostra, eorumque, qui nobis concordati, dispensemus, ut studiorum nobis & aliis superstiti fructus. Amicam hanc monitionem non inique feres, quia animum, ex quo illa, pernosti. Tu vicissim, quod me velis, libere, ceu haec tenus solitus es, moe, ut Amicitia nostra utrique proficit, qui veræ charitatis modus, & lapis quasi est Lydius. *Quod Stationes*, morte aliquot Collegarum vacantes, aliis iterum demandatae sunt, haud dubio aliunde jam nosti. DEI gratia in hoc vivimus, quod N. N. ratiō-

non

non habita est in electione. Meministi, aliunde Te
hoc addicisse, quod non uno experimento hic nobis
patuit, istum hominem præcipuum fuisse columnia-
rum, de me spartarum, si non autorem, certe admi-
nistrum strenuum, qui literis, quaquaversum missis,
ea disseminaret, quæ existimationem nostram le-
derent, DEVS aliam ei mentem indat, vel Ecclesiam
nostram ab eo custodiatur. Norimberga vestra M.
Wincklerum gratulor, dolissimum virum, & qui in
moderanda Parisiensi nostra Ecclesia prudentia suæ at-
que fidei luculenta edidit documenta. Sed, prolixitate
nimia Tibi molestus esse, non sustineo. Vale,
in DOMINO, mi optime, & quod facis, me ama.
Scribep. Francofurt. ad Moen., ipsa brumali die 1680.
Tuarum Virtutum studiosissimus, atque ad pias pre-
ces & officia addictissimus Phil. Jac. Spenerus D.

P. S. Satisfactum ne illi Tuo Amico, qui literis
meis, aliquando ad Nagelium scriptis, offendì visus
erat?

Cum scripta hæc esset Epistola, jamjam obsignan-
da, famulæ, museum verrentis, imprudentia illæ li-
turse inductæ sunt, quas non inique feres: nec enim
de scribendi, hora jam instante, tabellarii tempus
superest.

EPISTOLA II.

Salutem a DOMINO!

MOLLERE clare, Ocelle literaturæ
Politioris, candidaque Virtutis
Flos nobilis: Tefat diu haec tenus multum
Diversa jactitare vidi mus Fata.
Post devoratum pulverem Scholæ, & plura
Superata rædia atque difficultates

Aca.

Academiarum, expertus es, peregrini
Patientiam fastidios periclisque,
Quæs exteræ gentes frequenter exercent,
Cum Liliætum amconum & Aufonis terram,
Superbientem antiquitate, oberrares.
At restitutus inde Patriæ, gazas,
Multo quidem fôris labore quesitas,
Impendere ejus usibus pius civis
Jam gestibas, explicare sed primum
Vix cooperas has, publicæ Rei tristis
Ecclesiæque cum ruina privatam,
Visam parum progerminare, Fortunam
Tuam simul tumulavit & solo affixit.
Ita Patriam exul absque judice & noxa
Deserere cogeris, vagoque, quam tandem
Supremus in cœlo Arbitrè Tibi exserio
Digito quietem Patriamque monstraret,
Circumspicere oculo, juberis intentus.
Sic spem metumque, sed unice sortes
Tuas paternæ Providentiae credens,
Et hue & illuc lumina atque versabas
Animum, meridies an occidens, arctus
Ortusve Solis, ecclisi Patris iussu,
Locum Tuis parasset optimum votis.
Nunc nubibus spissis, quod undique obductum
Huc usque cœlum omni speci videbatur,
Obstare, nocte ea repente discussa,
Vultu DEI serenius resulgente,
Ridere rotum, & longa ea mora dignam
Tibi quietem pollicerier, cerno.
Hac nempe factum est Gratia, Tuis tandem
Quod obtigit Studiis Professio digna.
Sic qui Sophorum scripta perdius pernox
Considerasti, & quicquid bac habent certi,

Re-

*Recondidisti mente, iam satis primis
 Sapientia profundiora, qui quovis
 Quæ gesta scire seculo laborasti,
 Nunc fata Regnorum ac originem primam,
 Et quæ secuta ad istud usque momentum,
 Non difficiliter explicare discentum
 Poteris frequenter Cœtui. Quid huic addam
 Felicitati, promicare quam primum
 Nunc specto? Gratias nisi DEO Tecum
 Humillimas, quod solvo corde devoto;
 Et optimi mirabilem Patris, clare
 Qui lucet hic, adoro cernuus ductum,
 Ejusque Tecum Gratiam invoco supplex,
 Sapientiaeque Glorieaque divinæ,
 (Cum ducet illa, promovere ut hanc pergas)
 Te porro nobile esse faxit exemplum,
 Et hunc sua vocationis, ut dico
 Prosperrimo conatum universorum,
 Ex cœlica benedictione, successu,
 Apparet certo, imprimat characterem.
 Sic vive Amice, ut plurimi Tibi semper
 Vitam precentur longiore, & ut nunquam
 Extremum obrepas Tua Tibi Vita.*

Ita gratulor & precor
 Tuorum Decorum studiosissimus

Philipp. Jacob. Spenerus D.
 Eccles. Mæno Franco, Pastor & Senior,
 P. S.

Ad reliqua Tuæ Epistolæ argumenta paucis. Cum
 N. N. *Vidua* proxime agam, cum haec tenus ideo
 non potuerit fieri, quoniam, ob non solutam *M.*
 ium conductiarum annuam mercede in, illis emi-
 grare jussa, ob istas occupationes nemini nunc va-
 cat. Agam vero pro fide, quam debeo Tibi, quod
 meum

erit. *Dn. Grambus noster* ex animo Tibi &
 Tuis novis honoribus gratulatur, & nuntiari jussit,
 fieri posse, ut aliquando Filium, ad vos mittendum,
 vestrae curæ concedat, qui optima indole & industria
 spes, de se conceptas, magis magisque auger. *Trophæi*
Austriaci Autorem scire & mihi & aliis fuit pergratum.
 Eundem esse, credo, qui ante quinque hos annos, si
 memoria me non fallit, nostra in urbe *Mercurium*
Fatidicum excudi fecit, quem a me non lectum fa-
 reor, scio vero aliquibus, qui legerant, valde fuisse
 improbatum, & Autorem nefcio quibus oneratum
 suspicionibus. Si vestro in oppido vivit quidam N.N.
 ex Augustiniano nunc noster, quæso cum mone, ut
 Noribergæ quandam adeat Mercatorem N. N. a quo
 fasciculum literarum & N. N. Imperiales acciper, foliolo,
 accepti indice, & vicissim tradito. Nunc plura
 addere non licet. Vale, certusque esto, nunquam,
 cum potero, desideriis Tuis me defore: quod enim
 haec tenus defuerim, nosti, non fuisse culpat meam.

EPISTOLA. III.

Salutem & Pacem a DOMINO!

Amice in Christo dilectissime,

Bene fecisti, quod iter, cum Viennam destinas,
 me voluisti laterc, ita enim multa me levasti so-
 licitudine, quæ alias tenuisset, si fuisse periculosi
 conatus conscius. DEO sint grates immortales, qui
 Te duxit reduxique salvum, idem posthac etiam cir-
 ca res Tuas frequentia & illustria sua de Te cœlestis
 curæ specimina nobis exhibeat, & si ita sapientissimo
 ipsius consilio visum est, brevi ostendat, quem usui
 donorum Tuorum, certe haud vulgarium, locum
 assignaverit, De me utinam latiore in aliquando au-
 dires

tres nunciam, videlicet quod divina Proæsa vel tandem me instrumento usâ sit ad Te promovendum. Puto vero, citra culpam meam factum, quod hactenus successu cogitata caruerunt. Nam ne quidem a Saxonico Serenissimo Duce, etiam per fratrem monito, aliquid certi hucusque obtinere licuit. Si pax aurea resulgeret, jam in Palatinatu, & quidem in ipsa Academia Metropoleos haberes Patronos, quorum noritiae & Tuas doctes & desideria insinuavi. Dum vero ita res habent, nonnisi præsentia curantur. Accepi, credo a Tua manu, certe Tua cera ob-signatum, faciscum, *Trophea Austriacæ continentem*. Scriptum est, in quo & Parrhesiam mireris, & Judicium suspicias. Licitne de Autore conjicere? Magni aliquot Vixi, quibus inspiciendas pagellas dedi, magnas fecere. Pro eo munere gratias habeo maximas. Interim Te quoque accepisse spero promissas. *Stengliananas Conaciones*, & *Imaginis meæ estypa*, quæ, in fasciculum collecta, Amico cuidam concreddi, qui apud vos transiturus erat, & Tuo alloquio frui avebat: Nomen ei *Daniel Behm*, patria Regiomontum. Ante hos undecim, & quod excedit, annos, studiis incubui Argentorati, & mea ibi etiam uita est informatione: ex eo Galliam atque Italiam lustravit, nunc altera vice Italiam petit. Porro otium illo, quo abibat, momento non erat, ut literas ad Te exararem. Existimabam vero, promissa etiam sine his solvenda. *Serlinum tardum illum debitorem Tuum*, vita excessisse scias. Dysenteria, quod malum Rheni oras & coquinia ista æstate infestavit, & non pauca fecerunt funera, ædes ejus cum corripuisse, liberos duos sustulit, dein, cum periculum jam evasisse videretur, ipsum, quod a tribus circiter septimanis factum est. *Locutus sum homini*, qui *Viduæ ad manus est*, & adhuc

adhuc vivo cūras imprimendorum actorum habuit, de debito *Thuano*: Nihil ejus sciebar quidem, sed nec omnino, cum ex me intelligerer debitum, difficulter se præbuit, si mittas alias defuncti literas, quas Tibi ad manus esse existim, quibus librum hunc pollicitus est, verbis meis pondus incrit majus, ut vel tandem satisfiat Tibi. *Bocharti Hierozoicum* ex prælo nondum prodit, sed illud adhuc patitur: *Geographiam*, nisi fallor, 2. Imperialibus vendunt. Quod *Lutherica* Tibi etiam in pretio fint, vobementer laudo. Quo plura Viri illius lego, eo magis miror vim spiritus, vulgari mensura multo majorem: Et praterquam quod singulari divina providentia, praeter *Beatorvesus*, nullus alias sine nave scriptor existit, atque adeo nec *Lutherus* idem ubique vel promiscue se fandus est, plerisque antiquorum, quietiam magna numinis fama gaudent, atque fruuntur, cum multis parasangis anteferre non dubito. Utique, quod recte sentis, melius cum Ecclesia nostra ageretur, si non plures omni studio, in quibus Ecclesia exturbantis Heros ille tam strenue desudavit, subtilitates nescio quas scholasticas, & curiosiores quæstiones postliminio reducere, unicam suam gloriam existimarent. In extremis ætatis sue annis B. Praceptor noster D. Dannhauerus, totus fere, ceu ipse tu noris, in Megalandri illius Scriptis fuit occupatus; quod *altera Hodosophia editio*, & universa ejus posteriora Opera testantur. Ingenue etiam fateor, si ex lectione alii tantundem proficiant, quantum ego ex collectione hujus operis ex Tomis Patris nostri, me credere, laborem nostrum bene collatum, & non sine piorum multorum fructu futurum. Ut vero illud fiat, DEVm ardenter invoceamus. *Fiebet typographi vidua nihil movit ulternus propterea*

propter libellum Tuūm excudendum ; nec est , ut
tu vercaris , ea causa mihi vel creatam molestiam ,
vel creatum iri . Nupsit nuper cuidam typographi-
cae artis operario . In nundinis quæ prodierint , se-
rus sim , si nunc index fieri velim , nam apud Endte-
ros haud dubie vidiisti , si etiam aliquid vide re-
putisti ex nundinis , quæ fuere plane steriles : Vale
DEO commendatus , & ne dubita , salutem Tuam
mihi , ut licet , summopere curæ esse . Scrib . 6.
Octob . 1674. Francof.

EPISTOLA. IV.

Salutem & Gratiam a Salvatore nostro unico !
Fautor & Amice desideratissime,

NON dimittendus erat sine literis ad Te noster
Bilgerus , nec volebam , sine Indice ad vos ire
illas chartas . Benedicat porro istius studiis Domi-
nus , & Tuo etiam consilio ei ostendar , quo in literarum
genere posthac de publico optime mereri
possit . Has videbis , jam *latino habita induita* , exhibe-
bere *pia desideria* , quorum singula exempla Excell ,
Collegis Viris celeberrimis . Sauberto , Fabricio ,
Wagenfeilio , multa salute meo nomine adscripta ,
porriges . Ut illa lingua prodirent , Amicosum fre-
quens flagitatio effect , cum aliqui nec abundem
otio , nec versione delecter , ejus exercitiū jam diu
desuetus . Credo , me nuper de N . N . verba fecisse ,
quod nos in prefat . Tract . ad Gregor . de Valent .
de necessitate doctrinae christiane perstrinxerit , &
quam vocat novam Pictatis praxis infestata sit .
Compellatus negavit , se adversus me quicquam ha-
bere , sed alios innuerit . Porcram ego ex ipsa de-
dicatione alias eum convincere , talia enim adducit ,

quæ-

que , ut ad oculum ostendere valeo , ad neminem
alium quam me referri queunt . Verum enim ve-
ro , qui bello non delector , adversarios , receptui
canentes , ut pedem figant , nova aggræssione cogere
nolo , Calumniæ non nihil , quæ ferbuerant , viden-
tur considere , nec tamen adhuc cessant : Et qui
possent cessare , donec Diabolus suam exuet indo-
lem , aut regno Christi adversarius esse desinet ? No-
biscum quæsto junge preces , ut omnes voluntatem
Domini sine errore cognoscamus , sine segnitie per-
ficiamus . Ei commendatus cum Tuis , vale optime ,
Francof . 23. Sept . 1678.

Tibi Amice certissime
ad preces & officia addicstissimus
Phil . Jac . Spenerus .

EPISTOLA. V.

A J E S U nostro , Rege glorioſo refuſitato ,
omnes Resurrectionis fructus & Salutem !

Amice Integerrime .

JAM diu filui , nec tamen Tui coram Domino ,
cujus ipse mihi testis est , immemor . Verum
conditionem meam haud dubie scipius jam Tibi
explicuere alii , quam tot distractus variis non suf-
ficiam desideris Amicorum & Epistolis . Nunc no-
stros aliquot cives , ad vos abeuntes , ut epistolio
aliquo comitarer , e re visum est . Suni illi Nobis
duo Patrii N . N . quæ familia inter nostras or-
dine prima recensetur , & ex ea magistratum ges-
sere plurimi . Patrem hi agnoscunt virum , de pa-
tria optime meritum , & cui similes plerosque opra-
rem , nec non matrem , pierate & probitate conspi-
cuam . Accedit tertius N . N . Medico celebri Ha-
no .

noviensis natus, cuius mater matrona honestissima, nobiscum hic vivit. Hos & favori Tuo fideique ex animo commendo, certumque Te esse jubeo, bonorum omnium amore dignissimos, & de N. N. nostratibus eadem spero & opto, nec non, qui semper valde mihi probatus est, N. N. Hujus a pueritia indolem semper amavi, nec eum a pristino tramine unquam recessum confido, cum eum ad eruditionem & virtutem paterna avitaque celebritas, ad pietatem vero & modestiam parentis, illis dotibus plane incomparabilis, exemplum, quod a tenetis ante oculos fuit, acri stimulo impellat. Hoc unum opto, ut Francofurtensium nostrorum consuetudo nunquam Tibi oneris sit, ipsi vero Te doctore, ductore & consultore in iis plurimum proficiant, quae salutaribus vita usibus necessaria sunt. *De me mena aliqua addenda sunt.* Spes diu fuerat, nunquam ex hac urbe me abducendum, sed ossa mea loco, quem jam in coemeterio pridem mihi elegi, & quem jam optima parentis & aliquor proles occuparunt, quietem ceptura: Verum aliter pia fata disposuerunt, & nunc *Dresdā* abeundum sit, suscipiendo muneri *Concionatoris Aulicī & Senatoris Confessorialis*. Cum mecum eo de negotio ageretur, constanter meam *adūvāpiā* ex vero causatus, & consilia hæc, de me instituta, deprecatus sum. Verum non attenta hac modesta declinatione, allatae demum sunt superiori mensi Electorales vocatoriae solennes. Consternato animo eas legi, quod consilium caperem, plane ignarus. Consului Collegas convocatos, sed pariter animi ancipites, ex me ipso ut consilium petarem, jussere. Itaque Magistratui exposui in utramque partem rationes, rogavique, ut qui me intus & extus posset, voluntatis divinae circa me interpres mihi esse

dignaretur. Ast hic quoque, quod orabam, negavit, nec de *δισηρ* vocationis aliquid statuere ausus est. Non ergo aliud super fuit, quam ut aliorum arbitrio negotium omne subjecerem. Vnde quinque Theologos pios & prudentes, sed diversis in locis degentes, animo concepi, singulisque cause pondera in utramque partem proposui, rogavique, ut in timore Domini expenderent, & singuli quid conscientia dictaret, ad me perscriberent, qui ex his suffragiis divinam voluntatem agnitus essem. Contentis Magistratus, & in hoc medium compromisit: ego vero non cessavi ex eo tempore benignissimum in cœlis Patrem suppplex venerari, qui viros illos suo spiritu regeret, ut mihi viam monstrarent, qua ingrediendum esset. Ex his quatuor (nam Dn. Scriverii responsum adhuc expecto,) unanimi sententia pronunciarunt, vocationem utique divinam, nieque ad eam suscipiendam plane obstrictum esse. Itaque responsa hæc cum inclyto Magistratui exhibuissem, is meam nudius sextus dimissionem decrevit, & Serenissimo Electori significavit. Non aliud meum jam est, quam *τῷ Διοφῆντι*, & mutationem periculosisimam obsequenti tamen animo subire, atque, quid me porro DEVS velit, expectare. Tu vero Amice desideratissime, alique Amici non cessabitis, necessariam Spartæ tam illustri colicam gratiam desuper exorare, quo vix aliud gratius mihi praestare potuerint. Vbi ex *Fonticulo Emfiano* denuo aquas tepidas biberò (huc vero DEO volente proxima septimana proficiscar,) redux, mora exigua interjecta, ad Saxones transibo: Exemplum nobile, quantum a nostris propositis divina consilia discrepant, & quam non nostra in potestate siti sint progressus nostri. Verum enim vero benedictus sit Dominus, quinos non secum

Acundum nostram , sed suam voluntatem ducit : ducat ergo posthac etiam sequaces , nec a nobismet- ipsis nos duci patiatur. Chartæ , quas hic mitto, Homiliae meas pœnitentiales recentiores , nec non alias de Regeneratione , exhibent; eas boni consules , & mei memor vives. Vale. *Scrib. Franco. ad Man. stylopropero. d. 20. April. 1586.*

*Tuus precibus , animo , studio
P. Jac. Spenerus D.*

EPISTOLA. VI.

Sabitem & Amorem in DOMINO!
Amice confidentissime.

Plurimum me post alia Tibi obstrinxisti , quod a Collega Tuo *Adm. Rev. Dn. D. Sauberto*, non tantum quid ille de Praefatione nostra sentiret , obtinuisti , sed hoc modo Viri illius mihi conciliasti amicitiam , ut etiam peculiari me dignaretur Epistola. Illa in pretio mihi erit , sicuti haec me non parum delectavit. Imo paulatim in eo confirmor , non omnino nostra ab eo , quod intendeant , consilia , nimirum Ecclesiæ emendationi profutura , ablusisse . quia omnes pene , quæ quaquaversum ad me deferruntur , Literæ piorum & cordatorum Theologorum consensum testantur , nonnullæ etiam pollicentur operam eorum , qui serio causam Domini promoscam cupiunt. Alias nemini minus quam mihi ipsi credo , unde tanto magis necessaria sunt talia , quæ me confirmant , aliorum suffragia. Tuum autem , quod jam sepius nubi frui licuit , prudens judicium & consilium , cuius spem fecisti , adhuc cum desiderio expecto ; nec camen aliter exigo , quam ubi per- commodum Tibi futurum est , Porro plurimum Ami- corum

corum desideria , & quod alibi excludendum nonnulli jam minarentur Opusculum effecere , ut in minori forma denuo imprimetur seorsim , cuius hic vel posthac ab Endteris duo , quorum alterum Tibi serves , alterum *Excell. Dn. D. Sauberto* tradi facias , Exemplaria accipies. Videbis adnexa duorum Theologorum monita , additiones , observationes , ex quorum lectione plurimum mihi promitto. Jubeat Dominus , in ipsis timore susceplos labores non plane in fumum abire , sed aliquos suo tempore ferre fructus : hoc enim unum est , quod omnes , nihil vero nostrum , intendimus. Pro transmissa *Imagi- ne B. Arndii* , *versibus Dorischeis exornata* , gratias ago maximas : occasionem queram , ut illi iterum in plures veniant manus , & plurium substante oculos , atque afficiant mentes. Doleo vero , istis Nundinis me Tuo bono iterum nihil potuisse. Tubingensis Bibliopola eas non invisi , sicuti etiam Argentinensium , qui venditare solebant , ne unus quidem accessit , ex aliis locis infrequentes . unde spes de *Hil- nerario Ducis Friderici* , quæ ex istius pendet pro- missio , iterum decollavit ! Sed & ex hoc habuere , quo se excusarent *Serliniani* , ut ne nunc quidem fidem nostram exsolvam. Neque vero semper mihi , vel nobis verba dabunt. *Plurim. Reg. Collega noster Dn. Grambus* peramanter Te salutat , & proximo Vere , Deo volente , Filium suum vestro Altdorfio concredere constituit. Jussit vero , ut ex Te per contarer , an propria instituta familia hospites excipere soleas , an apud alios Filio talis commoditas sit inquirenda : quo casu , in *celebri. D. Wagenfiliū* oculos conjecit , si ejus consuetudine & consilio filius ad Hebraicæ linguae , qua jam cinctus est , & eam de- perit , cognitionem profundiorē perduci posset. Quid,

Quid Tibi videatur , Amice optime , & quid con-
suas , expectamus , ut demum certi aliquid decer-
nere valeat . Vale , & quod sedulo facis , porto
nos amare perge , Scrib , Francof. ad Moen. 20. Sept.
1675.

Thua

Phil. Jac. Spenerus D.

EPISTOLA VII.

*Spiritus Sanctissimi
uberrimam gratiam , pacem , letitiam !*

Amice honoratissime,

Amenibus pluribus ad Te nihil scripti : cava-
men credas , tam diu me de Te , vel pro Te ,
non scriptisse , aut gessisse curam . Nec a veritate
abeo , si dicam , hanc primariam fere silentii mei
causam , quod sperabam ex uno altero loco re-
sponsum , quod demum intelligeres , curam no-
stram pro Te non caruisse successu . Commendavi
operam Tuam Sereniss. Principis Officis Secreta-
rio , qui Tibi in Aula illa , saltet dum aliud munus
vacaret , informationem juniorum Comitum obti-
nere sperabat , literis etiam , meo rogatu , hac de re
Aurum scriptis , sed quod responsum fecutum est ,
expectationi non sufficit , cum alias jam ante scri-
ptas nostras , provinciam illam occupaverat , Ite-
rum Serenissimo Duci Saxoniae Job. Georgio presens
eximias Tuas dotes & desideria flagrantissima expo-
sui , cumque jussisset , ut per fratrem meum in ejus
Aula morantem , rem candem in memoriam revo-
carem , non defui , sed admonui Principem , misa
etiam charta , qua fideliter enumerabam , quae de
coram praedicaveram . Sed nec inde quod nos exhibe-
ret adhuc allatum est responsum Promisit vero

Se.

Secretarius ille ulterius Tui memoriam servaret . Uni-
nam vel tandem veniat tempus , quo lector nostras
legas . Interim ex his intelliges , non exolevisse apud
nos memoriam Tui , quod , si animuu meum non
noſſes penitus , ex obstinato illo silentio facile po-
tuſſes colligere . Nunc non nullis ad ea , quæ in Tuis
responſo adhuc egent . Calumniæ & Invidiæ , de
quibus conquereris , injuriā detestor ; uti sunt
etiam , quæ nemo bonus non detestetur . Aristotelem
ipſe etiam amo , sed tam mihi religioni non est , ab
eius placitis recedere ; quam cujusquam alterius , quo-
ties ratio aliud videtur innuere , quam iste docuit .
Servitutem omnem odi , in primis illam , quæ nos in
verba Magistri jurare cogit , quod Philosophis utique
indignum est . Vnde sc̄pius miratus sum earum A-
cademiarum morem , quæ uniuersi hujus viri scriptis
non multo minorem autoritatem , in Philosophicis
tribuant , quam nos in argumento sacro Autoribus
Sæwvavcois . Ita idolorum non satis alibi est , nisi
in hoc genere idolon etiam constituamus , quod ado-
remus . Thuanum quod concernit , ajes , semper me
Tibi verba hastenus dedisse : nempe reddere nequoc ,
quam quæ a Serlino accipio . A me iterum proxime
compellatus , spem jam , ut satisfaciat promissis , in
proximo esse respondit : Amicum enim aliquod Ex-
emplar in hunc usum sibi daturum . Epistolas Tuas
cum argumentum bistoricum commendet si miseras , non
despero de Editore . Dn. Grambſii Biblia numerata
prodierunt excuntibus nuper Nundinis : Exemplari
vero proprio adhuc destitutus , non nisi apud alios
fugitivo oculo vidi . Viri optimi valetudo iterum
spem nobis aliquam facit , jubeat DEVS ut sit con-
stans . Concionem in Dn. D. Stenglini exsequiis ha-
bitam & proxime exscriptam typis , a me accipies ,
ubi

ubi primum erit, qui sarcinulam gestare velit. Apud Endterus que pro Te egeram, circa destinatum Historie Conciliorum Supplementum, frustra fuere. Desiderabant enim virum vel alicuius titulo celebrem, vel functione Theologica clarum. Vnde cum Dn. D. Hannekenius, Professor Gießensis, declinasset sebi oblatam operam, Dn. D. Hartmannus, Pastor & Superintendent Rotenburgicus, eam suscepit. Ad alteras Tuas convertor. Disputationem Tuam, elegantioris literaturae indicem, accepi, si possum, alii redhoscire donum, laborabo. Effigie i mæ, qui, Te illa delectari, scribis, exempla ectypa mittam, ut primum fasciculum aliquem mittendi erit commoditas. Versus, ea occasione fusos, amoris testimonium accipio: sed nisi, Poetis quam aliis plus licere, nosse, elegia illa merito rejicerem. Quæ de persecutione, omnem puriorem cultum Hungaria proscribere moleste, scripsisti, nemo legerit, quam decenti cum sympathia. Qui enim possemus aliter, qui fratres illos cogitamus, & credo nobis multo studiosiores pietatis. Quid nobis expectandum; quando illos tam inclemens, uti nobis quidem videntur, facta premit? Sed dixi compescamus labellum, ubi in divinam sanctissimam Pronam durius prorumpere vult verbum, vel cogitationes carnis ad talia tentant. Porro, quod Tu de Soproniensibus, paulo aliter ad nos perscripsit quidam, nativitate noster, nunc vero Soproniensis civis. Ex hujus enim Epistola, ad matrem mense Februario exarata, intellexi, quod in privatis ædibus exercitium indulsum sit, & ad hoc concessi duo Pastores. Ne deserat causam suam, qui ad dextram Patris sedet, & in medio inimicorum suorum dominari, promisit JESVS! Epistolam, fratri Tuo inscriptam, si nudum vereda-

riis credidisse, timeo, ut obligisset illi, neque enim hospitium adscriptisti, in amplissima vero urbe exteros, cum difficultate reperiantur, nolint diu investigare, quibus literarum publica cura incumbit. Commisi ergo, ut primum acceperam, Mercatoris, qui singulis septimanis Anglicas accipit, & Londinum dimittit literas, atque negotiorum causa in regia illa civitate filium habet. Cum ergo, qui ejusdem gentis sunt, se invicem facilius noverint, vel inventiant, spero hujus studio, nam a parente in mandatis ei datum, illam fratri Tuo porrectam iri; saltem curam pro ea non poteram curatiorem habere. Ita ad Tuas. Nunc unum alterumque addo. Bocharti apud nos excuditur Hierozoicon, uti nuper impressa etiam suit Geographia Sacra, quam forte ex Nundinis nostris vidiisti allatam. Ita consuletur eorum desiderio, qui hactenus, cum libros Autoris illius habere optarent, difficulter ex Anglia illos obtinebant, nec nisi pretio satiis iniquo. Opus, in quo ab omni quanor & amplius, aliquot collaboratores occupati fuimus, ut ex omnibus Magni nostri Lutheri operibus, que illustrande Sacra Scriptura faciunt, colligerentur, & justo ordine in publicam lucem edenterent, divina gratia ad finem propemodum est perductum, ut nihil desit quam revisio, quæ tamen ipsa non nihil temporis sibi deposita. Hoc, antequam claudam istas, adhuc necessum est: Vi-
dua Fieveti ad me a mense & quod excurrit, suorum quendam misit, qui indicaret, quod in ejus adhuc, ob librum aliquem Tibi exhibitum, tere remanseris, & interrogaret, an, quod discedens, dixisses, ego
& responderem. Vale divinae gratiae com-

missus, & res Tuas age optime, prosperrime. Scrib.
r. Jun. 1674. Francof.

Virtutum T. studiosissimus,
& ad preces atque officia obstrictissimus,
addictissimus

Pb. Jac. Spenerus D.

EPISTOLA. IIX.

A J E S V,

crucifixo nostro & resuscitato Salvatore,
omnia passionum ejus merita & resurrectionis
gloriose triumphos!

Amice exoptatissime, certissime.

Pro more meo ad aliquot Tuas simul respondeo,
nondum tamen ad omnes, unas enim nondum
acepsi, quas ferendas dedisti M. Teutschii comiti (cu-
jus nomen ignoro,) hic vero, cum isto me conver-
niens, excusavit, sibi quoque Epistolam datam,
sed ex errore sarcinæ reliqua inclusam, quam præ-
misisset. Unde argumentum illius, nondum vise-
tangere impios, reliqua exsequar. Amica nostra
contentio sine charitatis lesione facile conqueceret,
si uteisque alterius animum intueamur. Forte ta-
men posthac, si quid mihi credis, utilissimum fuerit,
non iis tantum occupari, que sunt bona, sed que inter
bona hoc tempore optima aut magis necessaria, &
fini primario, quem ante oculos habemus, cum frimis
congrua. Vita enim brevis, quam in non unius ge-
neris officia partiri necesse est, eorumque, qui studiis
operam navant, tempus, istorum cultura & destinatum, an-
gustis fere limitibus circumscribitur, ut merito, quo-
rum usus in vita potior, totum illud occupare debeant.
In minutis quidem ingenii gloria est, in utilioribus

com-

conscientie potior quies & fiducia. Teutschium cum
militone, quapropter, excepti humanitate: Bis collo-
cuti sumus, & illis Bibliothecam publicam ostendi,
cum quo alio de ipsis mereretur, nihil haberem. Eru-
ditio Magistri plurimum mihi placuit, mallem ta-
men, cum non nimium patriis adherere magistris,
quod, in colloquio observasse, visus sum. Bilgeri
nostris studiis benedicat DOMINUS! cupio ipsum
constantiori studio, quod palmarium in vita esse de-
bet, prosequi, nec ad alia saepius dilabi. De Co-
meta Tuo argenteo gratias ago decentes, pluribus
cum ostendi, Tuo expresso nomine. De Sidere illo
plurimas vidi chartas, sed perlustrandi vix fuit
otium. Prae aliis videbantur, quæ lectu digna es-
sent, Weigelius, Voigtius, & Anonymus quidam
Dialogus, quem vero Sulzbachi conscriptum ajunt.
judicia divina nobis ante fores esse, ne dubito
quidem, quicquid etiam de Cometa fiat, &, com-
muniter ei tribui solita, interpretatio locum habeat
nec ne. Quod Mitræ Electorales attinet, non il-
las abjudico Electoralibus, sed secutus sum modum
& consuetudinem receptum, juxta quam Mitræ vix
locus, nisi ubi galeæ nullæ, ut horum locum
exposeant, non etiam ut cum istis junctæ simul
conspiciantur. Inde est, quod in Monetis Mitrarum
frequens usus, cum ex vix capaces sint plurimum
Galearum, clypeo imponendarum. Quod ad Te
mittere jam vix quicquam occurrit, boni vero illas
quascunque Homilias consules, ne sine ullo austro-
mento haec veniant. Qui istas offert, ex nobili
Zollicoforum stirpe est, medicus, vestrae Academiæ
aliquandiu operam daturus, postquam aliquot men-
ses hic exigueret. Si qua in re honestissima ejus de-
sideria juvare possis, crede indigno Te non præ-
stare

stare nec ingrato. Vale. Scrib. propere Franco.
ad Mæn. 9. April. 1687.
Virtutum T. cultor studiosissimus & ad pias preces
atque officia addictissimus, obstrictissimus

P. J. Spener D.

Hoc aliunde accepta ut per me Amici acciperent, Tecum communicare volui. Vera ne sumus, quæ de Steph. Feket Apostasia publica foliola regulerunt? de Viro illo, ex alloquio mihi noto, neutrquam tale quid expectaverim.

EPISTOLA. IX.

Gratiā, Salutem & Pacem a Patre cœlesti,
per JESVM DOMINVM nostrum!

Amice.

Hoc solum nomen est, cuius fiducia, post obstatum silentium, iterum oculos Tuos mea Scriptio subire audet: quamvis, ut verum facias, idem nomen fuit, cuius forte nimia confidentia illam contraxi calpam. Hanc tamen non tuor, sed de hoc uno me purgans, non aliquo Tui contemnit vel Amicitiae prorsus illibatae decremento me siluisse, cetera deprecor. Credas hoc enixe, Tui mihi numquam deponi memoriam, si etiam calamus pigror esset, neque desinere, quas pro Tua salute & munieris successu felici ad DEV' M fundo preces. Ait, septem me a Te habere literas: accepi non paucas, quas inter chartas meas, ab aliquo tempore tot occupationum confusione disjectas, non illico inventire possum, sed omnes accepisse, si quidem tor fuere dubito. Ait, mihi scripsisse de Medico Amstelodamensi, mihi multum familiari, ego vero istas non vidi,

vidi, nec quenquam Medicum Amstelodamensem familiarem habeo. Basileæ convictorem habui Theodorum Vimand, istius urbis civem, qui medicam lauream accepit, sed, ab eo tempore ubi agat vel vivat, non novi. Tum quidam Nagelius, qui Medicus audit, ante aliquot jam annos mihi scripsit Amstelodamo literas, quæ pietatem spirarent, unde ei responderi: post hæc semel atque iterum alias ad me dedit, sed monitus ab aliis, qui vir esset, consilio abdicavit omne commercium: Nec scio, ubi vivat vel quid agat. Porro priores literas de Tua cum N. N. cypræci, accepi superiori æstate, cum Svalbaci valetudinis cum habarem, & non diffiteor, studio me non nihil distulisse responsum, qui enim utrumque diligo, cum dolore vestram contentionem intellexi, & expectandum rebar, ut paulatim affectuum motus considereret. Si vero, quis meus fuerit sensus, expertis, candide dicam: tota controversia amico colloquio portuisset sorori, minimeque probare possum Antagonistæ Tuæ Novinkæ, qui legitimæ defensionis limites plurimum excessisse videatur. Verum enim vero divisa ratio iterum plenam inter vos amicitiam coaluisse, spero & precor, quando mutuae condonationes ex eo causa justior, quia neuter ab omni prorsus culpa videtur immunis, si absque partium studio, quod rès est, examinare velimus. Quæ alia vero aliunde de illo N. N. accepi, toto animo me concrastarunt. Ah meliora DEVS! Ah ut videamus, illius gratiosæ operationi totos se præbere eos, qui gratiæ instrumenta omni suo munere esse debent, quod sine sincero & ardenti pietatis studio fieri neutiquam potest. Cum ergo redux ex Acidulis negotiorum modestum plurimum cumulatam reperissem, atque ade-

parum supereret ad literas scribendas otii , seignior
fui ad istas de argumēto tristī . Verum non solum
decreveram , sed & obtuleram nostro N. N. cum Alt-
dorffum se abitūrum significaverat , literas ad Te
commendaritas , ast ille in ipsis Nundinis discessit ,
cum vix vacaret tria ei verba loqui , nedum exarare
literas . Mirabas ego , quando scripsisti , hominem
cum nullam mentionem ullius fecisse mandati : cum
tamen , ubi , quod dixi paulo ante , ei locutus fueram , &
Tui , & Theologorum , & vestri Wagenfeilii disertim
expresserim nomina , ad Te autem promiserim lite-
ras . Sed non uno experimēto hominis obliuosum
ingenium didici , qui (quod Tibi in aurem) superio-
ribus annis semel per aliquos menses sui non satis
compos fuit . Nundinis finitis , postquam iterum va-
letudo novo insultu aliquandiu tentata fuisse , He-
raldica mea illa industria in Typographeo inprimi &
urgeri incipiebant , ut vix mihi ad prandendum fae-
pe otium sit , qui , quicquid supereret , a necessariis offi-
cii munis , huic uni labori impendere cogor , quem
tandem e manibus deponere aveo . Sane credas mihi ,
Amice optime , apud me esse Amicorum , & quidem
non infimes sortis , Epistolæ , quae jam in alterum
annum absque responso jacent . Ita enim mecum sta-
tuebam , quando vel omnibus , vel plerisque respon-
dere non permetteret temporis , qua labore , angustia ,
sed paucis tantum satisfieri posset , aequum esse , ut
non aliae feligerentur , quam quæ argumenti essent
maxime necessarii , & ubi ex silentio ad eos redun-
daret aliquid damni , qui responso meo eguisserent .
Tu vero ex nostris cum nihil commodi accipias , pra-
ger Amicitia memoriam iucundam , quae etiam sine
literis perdurat , videbaris ex iis esse , qui aequam
animo ferres nostram sarditatem . Accedebat hoc ,
quod

quod accepto Tuo dono , videl . Bibliotheca Koeni-
giana , arrisopov , nisi dedigneris , destinaveram
Heraldicum meum Opus , unde , ut cum gratiis hoc si-
mul mitterem , nundinas expectare constituī . Prä-
sertim quando occupato in ista materia , quæ vix quic-
quam temporis mihi reliquum faciebat , supervenit
Adversarius quidam N.N. qui Theosophiam aliquam
Enthusiasmaticam mihi atque Heribio meo impingit per
calumniam . Miratus sum hominis impudentiam , tam
imbellibus armis in arenam descendantis , & DEO
gratias egī , quando Adversarium resurgere permisiſt ,
quod talem excitari , qui suis ineptiis causat bonita-
tem etiam commendaret . Contemnere poteram
iustus innoxios , verum Amicorum monitis aliquid
dandum fuit , & ne silentium suspicioneſ alias exci-
taret , calamus in cundem stringendus : Tu ipse jaſ
cogitabis , inter tot alia , unde illas conquerere horu-
las (vix tamen unquam hora continua potuit impendi)
valuerim , quæ necessaria erant ad refellendum
Adversarium , & nostrorum Theologorum conſenſum
adducendum . Quem vero ita adduxisse videor
ut in Sole res sit poſta . Sane vindicanda fuit digni-
tas Sacrosanctæ Theologiæ , quam homo iste solis na-
turæ viribus adscribit , nec aliam Spiritus S. opem ad
hoc studium necessarium arbitratur , quam requi-
runt quævis profanæ literæ : omne vero Spiritus S.
lumen , quod necessarium aſſeratur , Enthusiasmi no-
mine infamat . Abdicamus ergo titulum Sacrosan-
ctum , si Theologia nostra non a sublimiori , quam
Aristotelica & humana quævis , principio emanat . His
nundinis una cum Heraldicis prodituram Apologiam
spero , si DEVIS vires & ſuccellum largiatur . Spero
etiam hanc occaſionem eſſe , qua quorumvis aliorum
malevolorum occurraroſ ſuſpicioneſ . Ex his vero in
rel-

telliges, ut opinor, satis, causam tarditatis eam fuisse, quæ apud Amicum locum inveniat, etiam ad Nundinas usq; in silentio perstisset: quando vero ultime Tuae iterum me urgebant, rumpendum hoc fuit, ut videres, qui Tui probe memini, nondum etiam ad scribendum plane obstupuisse manum. Ast præter hæc exarata, ex quibus intelligis silentii qualescumque causas, quod reliquum est, deprecanti veniam concessa, suppleturus, vix est quod jam addam, nisi pro munere & voto pio gratias. Dominus temporis & æternitatis, non solum quantum Rectoratu' Tu' Academico adhuc destinatum, (neque enim memini, quod spatium illi soleat præfigi,) est, & quantum ex hoc anno restat, sed quicquid ætati Tuae præfinivit, quem annorum numerum, Reip. in primis literariæ gratia, prolixum esse optem, ita exigi velit, ut nulla abeat dies, imo nec hora, sine novo Gratiae ejus cœlestis Beneficio, qua & animæ optime sit & corpori, prout ille optimum esse intelligit. Sufficient laboribus veris viris, faveant Amici & Collegæ, & juvent eodem, penes quos ejus facultas est: sed etiam ad ferendas vitæ hujus & officiæ, ex conscientiæ dictamine gesti, difficultates animum erectum, & qui in conscientiæ tranquillitate atque DEI sui gratia omnem bene actionem mercedem querat, neque a seculo expecte aliam gratiam, quam illud solet optime etiam meritis retribuere, quæ plerumque mala est. Quid nunc N. N. noster? quem, si penes me fecisset, Tuum malissimum hospitem. Quid N. N. an studia sua in eum scopum dirigit, quo aliquando Patriæ inservire queat: quod Tu rectissime intelliges. N. N. vestro prodest non potui, quippe rarum admodum est, ut ego in talibus cuiquam possim esse auxilio, qui conversatio me abstinent post annos civibus minus summa familiâ.

Naris, unde apud eos parum pro aliis possum, nisi id fiat Collegarum potius meorum, quibus cives magis affluvere, favore, College nostri Grambsii filius, vester quondam convictor, Hamburgo redux, istam hicmen apud nos egit. Parens tolerabili utcunque valetudine fruatur, quando iterum a Biennio vires sufficiunt ad habendas conciones, sed cum insistere suggestui non possit, in illo considens pugnat, ubi S. Eucharistia celebrari solet, verba ad populum facit. Calumnias, quo genere telorum ab aliquo annis diabolus me in primis impetere visus est, non nihil remisere, nec tamen plane cessant. Spero ex ista *Apologia mea*, quam Adversarius elicuit, pluribus de innocentia mea constituturum. Ut vero unquam a me amoliri hostis illius iram valeam, nec spero, nec vellem, utpote qui scio, istud fieri non posse, nisi segnescam in eo, quod cœlitus mandatum est. Hoc enim qui facit, h. e. strenue ipsius regnum impugnat, non potest non sibi habere infestum, & qui, quando cœlum non potest, Acheronta movere non cessat. Hujus gnari, obfirmemus adversus omnia ista animum, & quod caput rei est, non desistamus piis precibus hoc a Patre misericordiarum efflagitare, ut labores nostri, quos in ipsius nomine peragimus, non sint sine fructu. Tu mecum, Amice dilectissime, in illam incumbes pro me curam, de me synagonista non dubius. Vale in DOMINO, & res Tuas ipsius ope rectissime perage. Dab. Francof. ad Mœn. calam, ut vides, volante. 13. Febr. 1680.

Si de *Perilliſtrium Baron. Wolffsteiniorum* insignibus, an aliquid veteri typo addiderint, me docere posse, res futura est gratissima, sed memento, vix pauculas ad Nundinas hebdomadas superesse, intra quas adhuc in tempore venient, quæ mittantur. Quia

**Quia in vicinia vestra sunt illi Dynastes, forte eorum
ignarus non eris. Interca symbolas Tuas promissas,
uti opportune accepi, ita suo quasque loco fideliter
inserui.**

**Tui observantissimus, & ad studia
acque pia vota addicitionis
P. J. Spenerus D.**

EPISTOLA. X.

*A JESV, quicquid, suis esse, ille promisit!
In illo primogenito nostro Fratre, Frater & Amice
desideratissime.*

Quartuor denuo literæ Tuae oculis meis observan-
tur, quoties chartas meas pervolvo, Tua ta-
men memoria animo semper haeret, quem etiam Te
non ex Epistolarum mearum frequentia estimatur una
scio, sed ex eo, uti me dudum cognovisti. Quamvis
vero nunc ea necessitas incumbat, ut commercium
literarium aliquandiu suspendendum sit, Tuas tame-
ne diutius in acre Tu sim, expediendas ratus sum.
antequam totum me dem labori, qui præ manibus
est. Vis scire, quis ille sit? paucis accipe. Meas
de *Justificatione* conciones, quas superiori anno typis
subjeceram, licet veritatem Evangelicam non nisi in
thesi explicantes, ut Papæorum vix semel iterum
que fiat mentio, justo libello refellendas nuper sibi
sumisit *D. Joannes Brevingius*, Scholasticus hac in urbe
Bartholomeanae sedis, eumque Excellentissimis, hec
commorantibus, Legatis tunc inscriptis tum obtulit,
varie ab illis exceptus. Poteram responso superse-
dere, nam & Vir judicio, eruditione, & sensus suos
exprimendi facultate destitutus, & Opusculum ejus-
modi est, quale ab eo expectari potexat, ex quo
ipius.

ipius me sententiam aliquando vix nisi conjectura in-
telligas; (adeo, Germanus licet, vernacula suam
callet) veritati autem nostræ nullum periculum ex-
pectandum esset: unde quidam Romani ipsimet in-
dignantur, & defensore isto res suas equissem negant,
prospective, facile superandum tam ineptum, inex-
perientem & temerarium pugnare, suæ causæ aliquo
præjudicio. Cum vero & glorietur ille de Libello
suo, quo totam nostram Religionem, corde confixo,
confecerit, adeoque de Fide controversiæ finem im-
posuerit, vel tamen, ut prope ab eo absit, rem dedu-
ixerit, & ego, si silentem, infirmis scandalum me pree-
bere existinem, cum DEO constitui, in arenam ipso-
cum descendere. Imo veneror divinam Providen-
tiæ, circa res meas vigilantem, & qui memini, cum
ante triennium N. N. permiserit, qui me lacerret,
cam mihi occasionem, omnibus votis prius expeten-
dam, subministrasse, qua & falsorum fratrum dilue-
rem suspiciones, & argumentum aliquod publice tra-
starem, quod, nisi oblatum, aliunde non facile sine
inulta invidia mihi metuere potuissim, non dubi-
to, hac quoque vice sapienti & gratiose consilio huic
Adversario meo permisisse, ut me provocaret, & cum,
qui haec tenus omni studio, ne in polemica talia invol-
uerer, & congregandi necessitas imponeretur, cave-
rem, eo adigeret, ut pedem conferrem, & verita-
tem nostram illo etiam scribendi modo tuerer. Ita
que alacri animo arma jam expedio, fretus divina,
quam cum aliis fratribus *Tu quoque, mi Optime*, pii su-
spiriis mihi exorare non gravaberis, *Gratia*, quod
sciam, me vocatum ad hoc certamen descendere.
(Jam vero etiam in improbis duellis victoriam fore illi
promittere solent, qui provocatus accedit,) & eam
causam defendere veritatis coelestis, quæ propugna-
to-

toribus suis ipsamet arma ministrat, adeoque Victoria
suae adversus quosvis Thraunes certa est, licet in-
fantium manibus adversus eos uteretur. Sane non
aliud argumentum, quando pugnandum fuit, pro-
prio voto præ aliis mihi optare potuisse, de quo
manus confererem, quam quod DEVS ipse mihi ob-
tulit, de *Justificatione*. Hanc vero materiam pro digni-
tate & solide tractare volenti, necessum est, universam
doctrinam de *Imagine DEI*, peccato & concupiscentia,
Legis perfectione, ejusque servanda & possibilitate vel im-
possibilitate, Merito Christi. *Conversione*, *Poenitentia*,
Fide ejusque virtute, *Operibus horumve usu*, *natura*
necessitate, *fiducia in opera*, *Regeneratione*, *Re-*
novatione, *Certitudine Salutis*, *Baptismo*, *Absolutio-*
ne, *simil complecti*, quæ adeo totius salvificæ Reli-
gionis capita sunt palmaria: Unde cum gaudio hanc
pugnam ineo, & DEV M oro, qui valetudinem &
coelestem mysteriis istis, digne tractandis, necessariam
Spiritus S: lucem largiatur. De tempore quoque val-
de sollicitus sum, vix videre potis, unde otium nan-
cicar, quo opus habeo. Literario colloquio aliquæ
horulas subtrahendæ sunt, quæ tamen parum confi-
ciunt, & profecto non omnibus mutus esse potero.
Verum de eo etiam curam DOMINO committam. Ut
ad Tuas convertar. *Stieglerus & Zallerus*, a Te com-
mendati, me convenere, illius frater germanus, Pa-
stor Nicolaitanus apud Argentoratenses, & uterinus D.
Sebelius, jam a multo tempore mihi noti fuerant, ipsis
vero noticiam prius nullam habueram: hic quam o-
ptime mihi placuit, non simplici vice mihi locutus, un-
de talem deprehendi, qualem Tu commendabas. M.
Salzmannus noster eodem adhuc tramite *Gießa* per-
git, & jam circumspicit, quo DEV S digitum intendar,
& quid de se constituerit, paratus, quo cuncte voca-
verit

veritipius hutum sequendi, postquam de Patria spe
fere decollavit: cum enim, qui in ea vivunt, salva
pietate, eam deserere nequeant, quæ ipsis indiget,
qui tamen liberi sunt, alibi vivere malint, quam talij
loco, cuius praesens conditio suas habet aerumnas, sed
merus futurorum, quæ mens provida prospicit, lon-
ge gravior est. Ex conditionibus deditonis, quæ,
præter summum, templa reliqua, & Religionis exer-
citium interbarum ipsis addicebant, nihil adhuc im-
mutatum est, & præ se ferunt Regii, nihil deinceps
etiam immutandum, quod tam diu duraturum non
dubito, quoad regia comoda id ferre videbuntur.
Sed promissa illa aegre fidem apud plerosque repre-
sident. Superiori aestate D. Bebelio creatum fuerat
periculum, quod edito *Libello festum Corporis Christi*,
ejus historia & origine exposita, perstrinxisset.
Quærela ad Regem delata, & ipse Argentoratu[m] co-
ram Praetore rerum criminalium (le grand Prevost)
causam dicere, & ad interrogata respondere necesse
habuit, nec non Libelli censor, typographus, bibliop-
ola. Ita vero causam suam egit, ut ex eo tempore
ex Aula nihil sequius allatum sit. Imo elencho ad-
versus Pontificios adhuc utuntur liberrime, ut non
desint, qui existiment, prudentius quosdam factu-
ros, si circumspectius loquerentur: neque tamen,
quod sciam, ulla ipsis inhibitio facta. *Apostatarum*
civium numerus adhuc intra duos sterit, & hi etiam
Ecclesiae nostræ prius purgamenta fuerant, uterque
Judicis sententia jam ante aliquor annos a conjugibus
separati: ex altero Sexu *Frischmanni* Oratoris pridem
Francici filia, & alia nobilis, quæ ex Officiali galli-
co gravida, sententia Praefecti *Chamilli* maritum
istum obtinere debeat, ex quo conceperat. Preter
hos unus alterus ex ima fece & famulatio ad altera
tran-

transiere castra ; ut adeo Adversarii mirentur & timi-
gantur , tam parum omnia sua promissa & confilia
ad seducendos nostros proficere . DEVS eos porro
in Veritatis constantia servet ! Dietam nostram solu-
tam esse , jam forte aliunde intellectisti . Heri Galli-
corum Legatorum alter discessit , quem alter ut ajunt ,
intra aliquor dies sequetur . Quandiu substituti hec
sint , quos Augustus & Imperium legarunt , vidobim-
us : forte in Apologia aliqua , antequam discedant ,
adornanda erunt occupati : Sine bello non amplius
transfigi posse , plurimorum prudentium sensus est .
Mihi illæ tempestates Germaniae nostræ (& Ecclesie
imprimis) imminere videntur , ad quarum cogita-
tionem , nedum conspectum , quævis mens pia ex-
horrebat : & forte parum a revolutione aliqua Eu-
ropæ universalí absimus . DEVS sua judicia multa
temperet misericordia , & suorum inter fulmina ,
quibus impoenitentium malitiam ulciscitur , memo-
rem se esse , luculentex ostendas . Quicquid vero ma-
lorum nobis immittat , si conscientiam excutiamus ,
pridem nos meruisse , confitendum est , & hæc inter
peccatorum eumulos reliquorum aliqua coronis emi-
net , quod securi iram divinam nulli reformidamus ,
& vix credemus , quam cum manus percutientis gra-
vitatem cum dolore sentiemus . Oremus DOMINVM ,
ad quævis patienda nos paremus , & sub potenti ejus
dextra humiliati expectemus τὸν κυρὶον ἀντίξεθε .
Vale divinæ curæ & protectioni cum Tuis commen-
datus , & ad meliora tempora perdura . Scrib , Frat-
cof. ad Moen. d. 23. Nov. 1682.

Tibi ad pia vota & obsequia amica addictissimus
Philipp. Jacob. Spenerus D.

Bilgerum nostrum antiquum obtinere , & in pri-
stina , quam saepelaudasti , industria pergeke , spero ,

& ei benedictione mi divinam toto corde appreco .

Posoniensi Ecclesiæ ex animo condoleo , si , qualem
nonnulli mihi locuti , hominem pastorem nausta est:
qui ejus conditionem pene tolerabiliorem autumo ,
quæ nullum quam quæ impium habeat .

Prima proximi Mensis apud nos destinata est con-
cionibus & aliis exercitiis pœnitentialibus , Texus
lecti sunt Jerém. XIII. 15. 16. 17. VI. 16. 21. Hebr. XII,

14. 15. Quam velim , tales nos coram facie DQ-
MINI comparare , ut sacrificia nostra ipsi
placeant .

